AD QVODLIBETARIAM QVÆSTIO MEDICA MATVTINIS CONCERTATIONIBVS DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE MARTIS. XXII. APRILIS PRÆSIDE MAGISTRO PETRO Seguin Regis conſiliario-medico, eiuſdemque profeſſore.

An fractis ſerra ſuturis?

CEREBRVM frigidi metropolis, ſenſus motúſque exors, principum facultatum locis diſcluſarum regia, duplici meninge reliquarum membranarum parente, ſenſus exquiſiti compote, integitur: caluariâ interiore parte concauâ, extinſecùs gibbâ, vtrinque læui, vbiq; præterquàm in temporibus duplici, multis & naturæ diſſimilis oſſibus arctiore ſuturarum nexu conſociatis, conſtante, protegitur: quò ſimul ab internis & externis iniurijs caput totius ædificij humani velut infumibulum tutius redderetur.

SÆPE teter vapor aut fumus acrior exitu prohibitus, cerebri meatus obſtruens epilepſiam profert, pæoniâ & viſco querno curandam; in membranas inſiliens acerbos doloris cephalici cruciatus excitat, tempeſtiuo laudani ἀνωδύνων λογιμωτάτου vſu, magno ægri & medici ſolatio mitigandos: at lapſus & rerum extrinſecùs in caput irruentium impetus varia trômatis, interdum ſine traumate, genera inferunt, pueris magis quàm ſenioribus ſuſpecta, & ſanationi rebellia.

CAPITIS trômata alijs diſſimili longè curatione reguntur, vulnus (ni circa frontem fuerit) nullo liquore, ne vino quidem, irrigandum, nec cerato, cataplaſmate aut linamentis curandum, nec faſcijs comprimendum: fractura ipſa nullam extenſionem admittit: oſſa nec reſtituenda, nec deliganda, quin potiùs modiolo prędictorum defectum ſupplente intra triduum apprimendo, & contuſioni (cuius nulla rima expers) neceſſario, auellenda: interdum ipſo vulnerationis articulo ferro vtendum, vt fruſtula meninges, vel etiam cerebrum in engiſomate comprimentia, in ecpieſmate pungentia, eximantur; alioqui doloris vi; inflammationis, conuulſionis, aliorúmq; ſymptomatum (morbo contraria non rarò indicantium) metus.

FRACTAM caluariam terebrare citò decet, non ſemper & vbique tutò licet, deiectis viribus nefas, non autem lunâ toto orbe illuſtratâ. Puerile ſinciput ſerræ appreſſionem haud patitur, in quibuſuis ætatibus, temporibus nec ſuturis impunè imponetur: temporũ alterutrius ad os vſque neceſſaria terebrationi ſectio, hæmorrhagię, ſpaſmi, inflammationis, delirij, reſolutionis, & ſoporis periculum creat, nedùm iniuſſam partis oppoſitæ collectionem contractionémque, muſculis non tantúm ἀδελφισμένοις ſed & ἀλληπεζευγμένοις communem.

VT difficillima eſt fiſſuræ circa ſuturas, cùm ſint ῥωγμοειδέες, dignotio, ſenſum & iudicium medici vel peritiſſimi fallentes: Sic temeraria eſt & funeſta ęiuſdem alioqui non inſanabilis, per modiolum ipſis appreſſum curatio, propter inflammationem & cerebri concuſſionem, vnde non rarò concidunt apoplectici qui ea parte ſecantur. Terebræ circumactu venę, arteriæ, & fibrę neruoſę quibus interna externis communicant, & craſſa meninx cranio atque pericranio appenſa eſt, dilacerantur, hinc & doloris incrementum & fluentis in meningem ſanguinis impetus, & eiuſdem meningis in cerebrum aliquando prolapſus, indéq; mortifera pulſationis arteriarum cerebri interceptio, ne tamen ſaucius curationis capax intereat, vicinę partes vtrínque fœliciter perforantur.

Non igitur fractis ſerra eſt adhibenda ſuturis.



Aſſerebat Lutetiæ NICOLAVS ROVSSEAV, Trecenſis A. R. H. 1614.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Iacobus Perreau.
M. Guillelmus Gerbault.
M. Carolus Bouuart.
M. Claudius Charles, P.R.
M. Quirinus le Vignon.
M. Dyoniſius Guerin.
M. Iacobus Lætus.
M. Ioannes Riolant P.R.
M. Michaël Toutain.